



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

Cap. I. De Materia & Forma Eucharistiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

TRACTATUS IV.
 RESOLUTIONES QUÆSTIO-
 num Casuum Pastoralium.
 DE EUCHARISTIÆ SA-
 cramento.
 CAPUT I.
 DE MATERIA ET FORMA EU-
 charistiæ.

QUAERO. *Quomodo materia debet esse præsens?* Resp. debere esse præsentem sensibiliter: id enim significat illa vox, *Ho c*, vel *Hic*, in verbis formæ, designans rem sensibus præsentem. Hinc resolvuntur casus seqq.

1. An necesse sit ut materia in manibus habeatur, aut saltè a ministro tangi possit? Item, an necesse sit ut sonus perveniat ad materiam? Resp. negativè. Ratio est quia potest censerì materia sufficienter præsens, licet in manibus non sit, aut paulò amplius quam ut manibus tangi possit. Et potest tam submissè sacerdos consecrare ut sonus ad materiam super alteri positam non pertingat. Sufficit ergo quod digito

demon

demonstrari possit, & aliis sensibus pateat, puta oculis, sicque moraliter præsens sit, nec nimis distans.

2. An necesse sit, ut videatur materia, oculisque præsens sit? Resp. negativè. Nam etiam si formulæ sint in pixide clausæ, aut velo coopertæ, valida est consecratio; si pixis super altare sit posita, aut juxta illud loco apte sensibiliter præsens. Dico, si pixis sit in altari, vel juxta illud præsens: nam si paries intercederet, aut esset clausa intra tabernaculum, non censeretur sufficienter præsens materia.

2. QUÆRO. An qualibet parva vel magna quantitas materiae valide consecratur? Resp. quemlibet cumulum materiae posse consecrari, qui potest esse præsens secundum omnes sui partes moraliter.

Casus accidit in triremibus non multis ab annis, ubi quidam Apostata Sacerdos, cum inferrentur multi sacci panis ad provisionem, omnes præsentes advocans, dixit: *Ego volo hos omnes Panes consecrare*, sicq; elatâ voce pro-

Z

sulic

tulit cōsecrationis verba. Cum igitur inde magna orta foret confusio, tandē resolutum fuit, ut panis illè pueris daretur & reliquum igne absumeretur. Cùm autem aliàs iterum id attētaffet, mortem præeligens servituti, suspensio enecatus est. Ita mihi retulit P. Sylvester Petrasancta Soc. Sacerdos Illustr. Numcio Apostolico P. Alfonso Carafæ confessionibus, eo tempore accidisse, quo confessionibus excipiendis in trinitatibus erat & ipse designatus:

Resp. 2. minimam quantitatem posse consecrari, si modò sit sensibilis. Unde minima particula, in qua conservatur panis substantia, apta est materia consecrationis, sicut & minima vini gutta.

Hinc patet Responsio ad questionem, quã quæritur, an vini guttula in calice separatæ à toto, vel minimæ particulæ dissilientes in corporali, & formulis consecrandis separatæ debeant censerì consecratæ? Resp. hoc pendere ab intentione consecrantis. Videtur autem recta esse intentio, vel consecrare solum quod est per modum

cont.

continui intra calicem. Unde verisimile est guttas separatas à toto vino, non esse consecratas: similiter nec minimas particulas dissiliētes à formulis ante consecrationem; quia recta intentio Sacerdotis nō videtur ad minimas illas particulas separatas, & vix sensibiles ferri, nisi aliter determinârit.

3. *Quæro de forma: An possit à pluribus simul pronunciarī, & ita simul consecrari?* Resp. posse ut patet ex usu Ecclesiæ Romanæ, in qua novi Sacerdotes simul cum Episcopo verba consecrationis super eadem materiam proferunt. Ubi tamen adverte, quod omnes simul verba consecrationis finire debent, si simul consecrare velint, alioquin qui prius absolvit, solus consecrabit. Quia ergo periculum est, ne multi verba formæ inaniter proferât, imò ne ipse Episcopus principalis cōsecrans nihil efficiat, si alius prius absolvat; quæritur quomodò hæc consuetudo intelligenda sit, aut qualis intentio debeat esse in novis Sacerdotibus? *Respondent* aliqui, solum Episco-

pum

pum proferre verba formaliter, & cum intentione consecrandi, alios vero materialem in signum potestatis sibi concessæ, & in memoriã cene, in qua Christus cum Apostolis cœnavit, & illis eadem potestatem concessit. Attamen cum in Pontificali Episcopus moneatur altè & paulatim dicere, ut possint simul alii pronuciare, qui etiam moneatur diligentiam adhibere, ut simul absolvant: per hæc indicatur eos proferre verba formaliter, ad consecrandum. *Respondendum* igitur, practicè rectè consuli, ut Sacerdotes, tunc intendant proferre verba tali modo & intentione, quam Ecclesia voluit illos hic habere: ita ut habeant conditionam, vel potiùs disiunctam intentionem, scilicet aut consecrandi cum Episcopo si possint; sin minus, materialiter tantùm verba proferendi; ita ut nullo modo velint ante Episcopum consecrare.

De materia & forma, plura supra in hoc Tract. & in resol. casuum de Sacramento in genere.

CAPUT